

malè fœtentes eorum consci-  
 entias perscrutari, necesse omninò  
 habet cautelas & media cum  
 magnâ sollicitudine adhibere,  
 animúmque suum spiritualibus  
 antidotis præmunire, ne eâdem  
 vitiosorum hominum lue corri-  
 piatur & pereat: *Quid enim pro-*  
*dest homini, si Mundum univer-*  
*sum lucretur, anima verò sua de-*  
*trimentum patiatur? aut quam*  
*dabit homo commutationem pro*  
*anima suâ? Matth. 16.*

---

## CAPUT II.

### *De Timore DEI.*

**P***Rincipium Sapientia Timor Do-*  
*mini: & Scientia Sanctorum*  
*prudentia. Proverb. 9. Primum*  
 igitur

igitur, quod Parochum in ordine ad seipsum perficit, & in gratia DEI perseverare facit, est Timor Domini: *Qui enim timet DEUM, faciet bona. Eccl. 15. Et per Timorem Domini declinat omnis à malo. Proverb. 15.* Est autem Timor DEI duplex, *Filialis* scilicet & *Servilis*. Prior non vult offendere DEUM, quia summum bonum est: Posterior, quia Vindex malorum. Per priorem homo justificatur, eò quod fit actus Charitatis. Posterior licet peccatorem non justificet, eum tamen ad justitiam & peccatorum detestationem adducit, ac propterea in S. Scriptura commendatur: *Qui enim sine Timore est, non poterit justificari:*

*Eccli. 1.* Eò quòd velut navis gubernaculo suo destituta, & à ventis tentationum agitata necessariò ad vitiorum scopulos allidi debeat. Unde passim legimus Sanctos hoc fræno Timoris DEI usos fuisse ad servandos se immaculatos in suis tentationibus, sicut de Tobia Seniore testatur Scriptura *cap. 2. v. 9.* de Juditha nobilissimâ vidua *Cap. 8. v. 8.* de Susannâ uxore Joachim. *Daniel. 13. v. 23.* De obstetricibus Ægyptijs *Exodi. 1. v. 17.* Et de se ac socijs suis, fassus est P. Antonius Arazius: hic enim cum à Rege Lusitano Joanne III. interrogaretur, quodnam herbæ genus usurparent Patres Societatis verfan-

lines in me  
bus contra  
respondit  
Castitatis c  
ferunt. To  
miraculum  
mones à se  
sicut olim  
perpositus.  
Sanctum  
ral. cap.  
juxta H  
Fabiol.  
Tertulia  
lamentum  
sublat  
justitiz  
Ecclesiast  
timore  
ter, cit

santes in medijs hominum cæti-  
bus contra appetitus carnales,  
respondit, *herba quàm socij nostri  
Castitatis custodiendæ ergò circum-  
ferunt, Timor Domini est, illa  
miraculum istud operatur, ut Da-  
mones à se longè repellat & effuget,  
sicut olim piscis Tobie prunis su-  
perpositus. Timor Domini juxta  
Sanctum Gregorium lib. 6. mo-  
ral. cap. 21. est Anchora cordis,  
juxta Hieronymum in epist. ad  
Fabiol. Custos virtutum. Juxta  
Tertulian lib. de cult. fem. Fun-  
damentum virtutis, quod uno  
sublato ruit tota perfectionis &  
justitiæ structura, attestante  
Ecclesiastico. Cap. 21. Si non in  
timore Domini tenueris te instan-  
ter, cito subvertetur domus tua.*

Et S. Bernardo *Serm. 4. ad Sororem*: *ubi Timor non est, ibi perditio est animæ: ubi Timor non est, ibi dissolutio vitæ est, ubi Timor non est, ibi est abundantia peccatorum.*

Oritur autem Timor Domini in nobis *Primò*, ex firma & viva fide in DEUM nobis intimè præsentem. *Secundò*, ex consideratione Supremæ & infinitæ Majestatis Divinæ de qua David *Psal. 46. Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram. Tertio*, ex consideratione Divinæ Justitiæ, quæ ipsis etiam *angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit crucian-*

ciandos. 2. Petr. 2. de qua etiam loquitur Christus Matth. 10. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Et Paulus Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus DEI viventis.*

---

### CAPUT III.

#### *De Humilitate.*

**N**on alta sapientes, sed humilibus consentientes. Rom. 12. Quantoperè Parocho necessaria sit Humilitatis virtus, colligitur ex eo, quod superbis DEUS resistat, humilibus autem det gratiam Jacob. 4. Sine gratia autem DEI Parochus non possit resi-